



TONUS XXXXIV.  
MISCELLANORUM.

~~G.M.B.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
VII-45. —  
SIGNAT. CCCXIII.

6 böse:

I

12

THESES,

CONTRA  
IVDAEOS, FRVSTRA  
SVVM MESSIAM AD-  
HVC EXPECTANTES:


DE QVIBVS

SVB PRÆSIDIO  
DANIELIS TOSSANI, s.  
Theologiae D. & Professoris in Aca-  
demia Heidelber-  
gensii,

RESPONDEBIT

M. MARTINVS GEBERTS.  
HAGEN, HACHEN-  
BVRGENSIS.

Ad diem 14. Augusti In audito-  
rio Theologico.



HEIDELBERGÆ,  
Typis Smeßmannianis, Anno cIo Io IVc.





II

THESES

CONTRA IVDÆOS, DE  
ADVENTV MESSIÆ.

THEISIS PRIMA.

**S**i quid mirandum & dolendum est, mirari certè debemus tantam & tam diutinam Iudæorum cæcitatem, & de ipsorum miserrima conditione dolere: quos non abs re Iustinus Martyr ex Esaia, boue & asino crassiores in domino suo Iesu Christo cognoscendo esse pronunciat.

Esa. I. A-  
polog. 2.  
pro Chri-  
stian.

II.

Et hîc quidem culpa non carent Christiani, qui partim suis Idololatrijs, partim turpissimis moribus, & à Christi fide planè alienis, eos non parùm offendunt: & de lucro aliquo ex eis captando, potius quàm de ipsis Christo lucrifaciendis solliciti sunt.

III.

Sed rursus Christianos illi maximè à se alienant sua perfidia, inconstantia, ac planè desultoria leuitate: dum multi sæpe simulata conuersione, & suscepto Baptismi Sacramento, paullò post resilierunt, & Christianis flagitiosè imposuerunt.

IV.

Quæ res D. Luthero occasionem olim dedit retractandi suam sententiam de Iudæis benignè & amicè tractandis, & bona spe de ipsis concipienda: quam sententiam Anno 23. in tractatu Germanico, cuius titulus est, *Christum esse natum* Tom. 58 Indeum, explicauerat postea verò videns eorum malitiam, & VViteb.

A 2 contu-

contumelias contra Christum, acerbo tractatu, quem anno  
43. contra Iudæos, & eorum mendacia scripsit, in ipsos inue-  
hitur, ac ferè indignos habet, quibus in posterum aliquid re-  
pondeatur.

V.

Neque enim defuerunt post Christū passum diuersis tem-  
poribus pij doctores, qui eos in viam reducere conati sunt,  
eorumque errores confutarunt: vt Iustinus Martyr, Tertul-  
lianus, Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus: quorum om-  
nium peculiares tractatus, vel orationes contra Iudæos, ex-  
tant. Sicut & statim post tempora Caroli Magni, Hamulus  
quidam Lugdunensis, deinde Nicolaus Lyra; & post illos sub-  
nostrum seculum, Hadrianus Finus, Porchetus, Burgenfis,  
Petrus Galatinus Fini paraphrastes, vel (vt alij volunt) Mar-  
tini Raymundi, ex quo pleraque mutuatus est, Munsterus,  
& alij complures, tum ex sacris Scripturis, tum ex proprijs  
Iudæorum libris eos conuicerunt.

VI.

Nobis in præsentia constitutum est studiosæ iuuentuti  
hisce thesibus ostendere, quantoperè errent Iudæi, qui &  
aliquot iam seculis suum Messiam expectarunt, & superio-  
ribus nūndinī Francofurtensibus de eius aduentu multa  
mussitarunt.

VII.

Refert enim Theologiæ studiosos, vt aliarum hæresiæ,  
sic Iudaicarum blasphemiarum contra Christum prætextus  
intelligere, & fidem nostram de Messia contra eorum exce-  
ptiones posse defendere.

VIII.

Ac mihi quidem non minima causa & occasio erroris Iu-  
daici in doctrina de Messia hæc esse videtur, quod necessita-  
tem aduentus eius, nempe hominis misericordiam, & magnitudi-  
nem lapsus Adami intelligere nolunt, sibi persuadentes non  
tantum fuisse æstimandum pomi vetiti esum, vt morti æ-  
ternæ addiceretur homo, & tali Messia opus esset,  
qui pecca-

qui peccata expiaret , & sua morte à morte æterna nos libera-  
raret.

III

IX.

Ex illa Iudæorum hypothesi fluunt alij ipsorum errores;  
quales sunt , non esse necesse Messiam Deum esse : Item,  
Messiæ pro peccatis nostris moriendum non fuisse : quo  
nomine totam nostram de Messia doctrinam aspernantur,  
eumque esse negant, qui per Prophetas promissus sit.

X.

Antequam igitur ad illud nostrum argumentum acceda-  
mus , & Messiam promissum iamdudum venisse demonstre-  
mus : falsa illa principia de officio & de persona Messiæ , pau-  
cis conuellenda videntur.

XI.

Ac de eo quidem inter Christianos & Iudæos conuenit,  
Messiam patribus à Deo promissum, promissionem ad fami-  
liam Abrahæni , & poste à ad certam tribum ex posteris eius,  
nempe tribum Iuda restrictam & alligatam fuisse : Messiam  
denique verum sanctumque hominem esse debuisse:

XII.

Sed finem præcipuum eius aduentus , & necessitatem tali  
liberatoris , qui à morte æterna nos redimeret, haudqua-  
quam intelligunt: quia illud Genes. 2. *Quod die comederis ex ar-  
bore scientia boni & mali, morte morieris: de morte tantum cor-  
porali accipiunt.*

XIII.

Damnationem verò æternam per peccatum inuectam  
esse , & regnum peccati & Diaboli à Messia conterendum  
fuisse negant: ideoque totam illam promissionem, quæ fons  
est omnium promissionum Euangelicarum, Gen. 3.<sup>o</sup> *de semine  
mulieris contrituro caput serpentis*, nullo modo ad Messiam re-  
ferri volunt.

XIV.

Prouenit is error inde , quod nec quid imago Dei in ho-  
mione fuerit , nec quanta deformatio illius amissionem sit

A 3      confe-

consecuta expendunt: nec peccati magnitudinē, quod haud-  
quaquam esu pomi, sed inobedientia cōtra infinitam illam &  
æternam maiestatem definiendum est, assequuntur.

XV.

Imago certè Dei ex aliqua conformitate ad eius iustitiam  
& sanctitatem, potissimum definienda est: cui per lapsum, ini-  
ustitia & impuritas successit: & quemadmodum pietas & ob-  
edientia (confitentibus ipsis Iudeis) promissiones habuit  
præsentis & futuræ vitæ: sic manifestum est inobedientiam &  
impuritatem, non solum temporalem, verū & æternam  
mortem homini accersuisse.

XVI.

Vnde factum, vt Adamus statim post lapsum ejaceretur ex  
illo paradiſo, qui eterni paradiſi & regni cœlorum symbolum  
fuit, fieretque iræ & maledictioni Dei obnoxius, à Deo diui-  
sus & ei inuisus, circumferens malam conscientiam, & mortis  
æternæ pauores, sicut & experientia, & Prophetæ omnes te-  
stantur.

XVII.

Et quid aliud omnia sacrificia propitiatoria & cruenta in  
Veteri Testamento homini ob oculos ponebant, quām rea-  
tum ipsius? & cur toties repetebantur, nisi quia alia perfecta  
expiatio, nimirum per Messiam expectabatur, vt luculenter  
docet Apostolus in epistola ad Hebræos?

XVIII.

Messiæ enim proprium officium fore, expiare & tollere  
peccata, nosque Deo reconciliare, clamant Prophetarum  
conclaves, & ea quidem ipsa loca, quæ non nisi de Messia ac-  
cipi possunt: *Esa. 43. vers. 25. Et 53, v. 10, 11, 12. Ierem. 33. v. 8. Et 16.  
Ezech. 36, v. 26. Daniel. 9. v. 24. Et Zach. 13, v. 1. Et 2.*

XIX.

Cùm porrò tale debuerit esse officium Messiæ, recte de  
eius persona credit Ecclesia Christiana, eum non solum ve-  
rum hominem esse debuisse, siue semen mulieris, aut filium  
hominis, vt pro nobis victima fieret: Sed & Dei filium, vere-  
que Deum, vt inter Deū & homines Mediator esset, & æter-  
nam iustitiam reduceret, Diabolum, peccatum, ac mortem su-  
peraret.

Qua-



V

### XX.

Quapropter & illustria testimonia diuinitatis eius passim apud Prophetas inueniuntur: qui Messiae non nomina solum, sed & attributa diuina tribuunt, ut Esa. 45. *Israël seruabitur in Iehoua saluatione sempiterna.* Et Ose 1. *domus Iuda miserebor, & seruabo eos in Iehoua Deo suo.* Vide & nomen Iehouæ Messiae tributum, Psalm. 24, vers. 10. & 68, vers. 19, & 86, vers. 10. & Ierem. 33, v. 16.

### XXI.

Quod ad diuina propria & attributa attinet, per illam æternam sapientiam omnia creata esse, testatur Scriptura etiā veteris Testamenti. Eidem omnes termini terræ adiudicantur. Idem Messias, desinentibus omnibus imperijs huius mundi regnum æternum instauratus dicitur. Eundem & filium & Dominum suum in spiritu agnouit Dauid.

Prouerb. 1.

Psal. 2.

Daniel. 2.

Psal. 110.

### XXII.

Et hic mirè se implicant Iudæi. Nam cùm duas illas in Christo naturas, diuinam & humanam, agnoscere nolint, & tamen apud Prophetas iam multa humilia, iam multa excelsa de Messia prædicari videant: nonnulli ex ipsis fateri coacti sunt, Messiam omnino Deum futurum: alij duos fore Messias finxerunt, quorum alter ex tribu Ioseph nasciturus, & in prælio contra Gog & Magog moriturus esset: alter filius Dauidis triumphator & liberator euasurus. *vide Hadrianum Finum libro 1. & s. contra Iudeos.*

### XXIII.

His igitur præmissis, iam ad rem ipsam accedemus. & evidenterissimis argumentis planum & indubitatum faciemus, Messiam illum promissum, Deum ab æterno, hominem vero in tempore factum ex semine Abrahami & Dauidis, expiaturum peccata mundi, venisse, & sacrificio sui corporis tanquam hostia immaculata, & Deo accepta, peccata nostra expiata: ea omnia denique præstisset, quæ à Messia præstari debuerunt.

### XXIV.

Ad id quod suscepimus conficiendum, quatuor potissimum argumentorum classes in medium adferemus. Prima erit ab

I. erit ab omnibus proprijs & adiunctis Messiae, quæ nostro Seruatori, quem colimus & profitemur, per omnia conueniunt. II. Altera, extempore in Scripturis definito, quo Messias se sistere debuit. III. Tertia ex effectis; quod in eo omnia illa sint completa & facta, quæ fieri debebant. Quarta erit omnis generis testimoniorum; ut est fama publica, & diu iam continua per totum orbem terrarum: multorum etiam Iudæorum consensus, & alia varia testimonia.

XXV.

De Messia venturo hæc à Prophetis prædicuntur, & prædicantur; quod simul parvus, humilis, pauper, & magnus atque excelsus; filius Dei, & filius hominis, sit futurus: & tamen unus & idem Messias, nimirum unitate personæ.

XXVI.

Filium Dei futurum, & quidem filium illum electum, qui reges & mnes terræ sit subacturus, & cui vel extremi fines terræ in hereditatem cedere debeant: & tamen reges & populos terræ in ipsum coniuraturos, quatenus scilicet exinanitus formam servi assumturus erat, omnibus confitentibus, prædictus David Psalm. 2. Id vero Iesu Christo planè conuenire, manifestè comprobant Apostoli, Actor. 4. comprobauit & euentus.

XXVII.

Vtrunque enim notum fuit omnibus Iudeis, eum scilicet voce de cœlo delata renunciatum Dei filium & opera quoque verè diuina perfecisse: ac simul fuisse hominem verum, probris & contumelijstum gentium, veluti Herodis & Pilati, tum Iudeorum obiectum.

XXVIII.

Et vtrinsque naturæ attributa luculenter Euangelicus ille Propheta Esaias descripsit, tribus potissimum in locis, cap. 7. ca. 9. & c. 55. quibus in locis exponitur promissio illa prima facta Genes. 3. de semine mulieris. *Per semen enim mulieris intelligi verum hominem, aut infantem conceptum & natum ex foemina virgine, id est, sine congressu viri, admonet Esaias;* dicens futurum, ut virgo illa, olim scilicet sub promissione de SEMINE MULIERIS intellecta concipiat & pariat filium: qui vt

2. Pet. 1.  
Ioh. 5.

qui ut verus puer butyrum & mel sit comedens, donec adolecat, & proficiat aetate & iudicio, discernens bonum & malum: & vocatum iri nomen eius **IMMANUEL.**

XXIX.

Id quām benē congruat cum euentu, siue cum historia nostri Seruatoris, patet ex loco Matth. 1, vers. 23. & Ioh. 1. vers. 14. quicquid excipient Iudæi, quorum exceptiones omnes in his breuibus thesibus adducere & refellere nolumus: quandoquidem id & à Cyrillo olim in Esaiam, & à nostris interpretibus, qui in Esaiam scripsérunt, sāpe est factum: & ut studiosis in hac publica disputatione eō maior opponendi locus & occasio detur.

XXX.

Virginem certè designari, eamque peculiarem, indicat articulus & appellatio, quæ ferè semper virgini non nuptæ tribuitur: Item quod hīc patris nulla fit mentio: & partus ille tanquam signum extraordinarium & illustre proponitur: vt nihil dicam, quod Christum ex virgine nasciturum, & olim Sibyllæ oraculis suis prodiderunt, & Talmudistæ, ac Rabini nonnunquam confessi sunt: quicquid hīc obganniant Kimhi, Aben Estra, & alij Rabini, qui de filio Prophetæ, aut Regis locum illum intelligi voluerunt. *Vide loca apud Hadrianum Finum in flagello contra Iudeos, libr. 2, ca. 17. & 18. & Galatinum lib. 3, ca. 18. Item libr. 7. ca. 15.*

XXXI.

Cum illo loco capitinis septimi conferendus est etiam locus capitinis noni Esaiæ, vbi utriusque naturæ in Mefisia, & in primis diuinæ, attributa extant. Humanæ, quando dicitur, *Puer natus est nobis: Diuinæ, Filius datus est nobis.* Ita quippe dilexit Deus mundum, vt Filium unigenitum dederit. Ioh. 3. Et sequuntur apud Esaiam hæc attributa diuina, *Admirabilis, Deus fortis, pater aeternitatis, princeps, siue autor veræ pacis:* quæ omnia Christo nostro optimè conueniunt, vt passim docent Apostoli.

XXXII.

Hic locus cùm Iudeos valdè vrgeat, sic eum peruertere conantur cum Rabino Solomone Iudæi recentiores, ac si le-

B gendum

gendum esset, *Is qui est admirabilis, Deus fortis, pater aeternitatis,*  
*vocabit nomen eius principem pacis, scilicet Ezechiam: contra fe-*  
*riem contextus, & veterum Talmudistarum glosas, qui de*  
*Messia illum locum intellexere: & contra lectionem Ra-*  
*bini Ionathan in Chaldaica versione, qui sicut nos ver-*  
*ba illa Esaiæ legit, cuius verba recenset Galatinus lib. 3.*  
*cap. 19.*

### XXXIII.

Nec minus clarus, immo omnium clarissimus est locus apud Esaiam cap. 53, de exinanitione & exaltatione seruatoris nostri Iesu Christi: de ipsius exinanitione sex primis versibus: de exaltatione vero sequentibus: licet eum locum, refragante sensu & ratione, ut monet ibi Munsterus, excæcati Iudæi ad eum statum in quo nunc sunt, referre conentur: vel ad Messiam, qui Romæ inter leprosos versaturus sit, & iniquitates eorum ibi ad tempus portaturus. In qua sententia Rabi Salomonem, & nonnullos alios fuisse, scribunt Finus & Galatinus.

### XXXIV.

Si vero cum illo loco conferatur Psalmus 22, (vt vt nonnulla eludere nitantur Iudæi recentiores) tota penè historia passionis Christi, & fructus eiusdem ibi liquidò comprehenduntur.

### XXXV.

Psalmum porrò illum vaticinium esse de Messia, aut saltem complementum eius in solo Messia inueniri, veteres Iudæi agnouerunt: à quorum sententia recentiores Iudæi descendunt, & de Dauide Psalmum illum totum intelligendum, si ne ratione contendunt.

### XXXVI.

Cæterum nullo modo cludere possunt, quæ de virtuote statu Messiae omnium consensu dicuntur Zach. 9. *Exulta vehementer filia Zion, Ecce rex tuus veniet tibi iustus & salvator, humilis, & sedens super asinum.* Item, *dominium eius erit a mari ad mare & usque ad fines terræ.* Quæ omnia in Christo nostro impleta esse, perspicuè ostendit Euangelica historia: & de nullo alio dici posse quam de Messia, fatetur inter alios Iudeos.

Vide Ga-  
lat. lib. 3.  
ca. 17.

Matth. 21.  
Ioh. 12.

Iudæos ipse Rabí Salomon, nomini Christiano aliás infen-  
sissimus.

VI

XXXVII.

Denique congruunt cum scripturis ac prædictionibus  
Prophetarum, tum locus, in quo Iesu Christus est natus se-  
cundum carnem: tum genus ipsius à Davide ductum: agno-  
scientibus & confitentibus id ipsum Scribis & Pharisæis.

Mich. 5.  
Matth. 2.  
Luc. 2 v. 4.

XXXVIII.

Venio igitur ad alteram argumentorum classem quæ du- Alterum  
cta sunt à tempore aduentus Messiae, quod spiritus Sanctus argumen-  
per Prophetas definiuit, non solum in genere, venturum eum tum a tē-  
nim irum nouissimis diebus: verùm etiam in specie: idque pore defi-  
duobus locis satis euidentibus.

nito.  
Esa. 2. &c.  
Mich. 4.

XXXIX.

Ac primùm quidem Genes. 49. per os magni illius Patriar-  
chæ Iacobi, cùm paulò ante mortem spiritu Prophetico hæc  
eloqueretur, *Non recedet sceptrum, vel virga scilicet regia, ex  
Iehudah, & Legislator è medio pedum eius, donec veniat Siloh,*  
vel, vt alij scribunt, Scilo: *& ei erit aggregatio populorum.* Sic  
enim Santes & Munsterus de verbo ad verbum ex Hebræo  
locum illum reddiderunt.

XL.

Ex illo loco sic semper contra Iudæos argumentata est Ec-  
clesia: Sub illud tempus, quo Christus noſter apparuit, de-  
ſift omnis administratio Reip. in tribu Iuda, extintis Regi-  
bus, Ducibus, & iſpis Sanhedrin, ſive magnis consiliarijs, qui  
erant ex tribu Iuda, non minùs quàm ex alijs, quos Herodes  
ille magnus, ſive primus, tolli curauit. Ergo rectè statui-  
mus, eum definito tempore à Patriarcha aduenisse: Contrà  
errare admodum Iudæos, qui post ſublatam multis retrò fe-  
culis, non solum omnem gubernationem à tribu Iuda, verùm  
etiam tribuum iſtarum nomenclaturam & distinctionem,  
Messiam adhuc expectant.

XLI.

Locum autem illum esse prædictionem de aduentu Messiae,

B 2 tum

tum circumstantiae loci arguunt, tum doctiorum, & vetustiorum Iudæorum sententia suffragatur.

XLI.

Primum enim non sat erat intelligere in genere, Messiam ex familia Abrahami oriturum, cum varijs fuerint eius posteri: sed operæ pretium fuit ad certam familiam restringi promissionem, nempe ad familiam Iuda, ex qua etiam celeberrimi Reges populi Dei, & typi venturi Messiae prognati sunt. Deinde ad istum Silo, siue filium, dicitur futura aggregatio populorum, ei videlicet obedientium, & se ei subiectientium, ut de Messia dicitur. Psalm. 72.

XLII.

Etsi verò de voce Siloh recentiores Iudæi variè philosophantur, & inter Christianos non desunt, qui locum hunc à Iudæis corruptum putent, & legendum ut vulgata versio legit Schiloach; qui mittendus est: tamen vtrunque Targum, Ierosolymitanum scilicet & Chaldaicum (quæ interpretationes irrefragabilis sunt apud Iudæos autoritatis) & ipse Rabi Dauid Kimhi cum alijs non paucis, quos nostri sequuntur, per Sciloh, à Schiliath, id est, secundinis, siue inuolucro fœtus, metonymicè & *κατ' ἐξοχὴν* filium illum promissum, qui ex fœmina nasci debuit, designatum intelligunt.

XLIII.

Et certè, qui ex Iudæis ab illa certa & vetusta interpretatione discedunt, in tam varias & ridiculas abeunt sententias, ut eorum contradictiones manifestum sint argumentum cæcitatibus ipsorum, & veritatis quam nos profitemur.

XLIV.

Nonnulli ex ipsis, per sceptrum intelligunt exactionem aīgum gentium, sub quo sint futuri Iudæi, donec veniat Messias. Alij, *Non recedet*, sic accipiunt, Non transferetur dignitas regia ad aliam tribum. Alij per Siloh Messiam quidem intelligunt, ut Rabi Salomo: sed volunt in Babylonia, aut ultra montes Caspios superesse principes de tribu Iudæi, qui dominationem aliquam obtineant. Alij simpliciter negant per Siloh intelligi Messiam: sed locum illum potius Silo, cuius fit mentione i. Samuel. 7. non auferendum sceptrum à Iuda per Saul, qui

Saul, qui erat de tribu Benjamin, dum locus ille **SIL**o, ubi  
Deus à Iudæis celebrabatur, frequentaretur. Alij per Siloh  
Regem Nabuchadnezar intelligunt, sub quo sit ablatum  
sceptrum de Iuda.

VI

**XLVI.**

Illa tamen absurdia sunt, ut refutatione non egeant. Nam  
tempore Saul nullum erat sceptrum in Iuda, Cis enim pater  
Saul, erat ex tribu Benjamin: nec in captiuitate Babylonica  
planè desit illud sceptrum, cum etiam post captiuitatem, &  
post tempora Nabuchadnezar præclaris duces ex tribu Iuda  
imperarint, ut ex Esdra, & Nehemia appareret.

**XLVII.**

De illo Donec loco suprà citato ex Genesi, fortè contro-  
uersia moueri posset: cum paulò post captiuitatem Babylon-  
icam, mortuis pijs aliquot ducibus, desierit sceptrum esse pe-  
nes tribum Iuda: & constet Maccabæos non fuisse de tribu  
Iuda, sed de tribu Sacerdotali Leui.

**XLVIII.**

Ad illam obiectionem duobus modis responderi solet:  
primùm durasse tamen (quod in suis libris fatentur Hebræi)  
consilium quoddam septuaginta virorum, vulgo Sanhedrim,  
vel συνέδεσον nominatum, in quo ex alijs quidem tribubus  
quoque, sed in primis ex tribu Iuda fuerint insignes viri, qui  
suis consilijs Rempub. moderabantur, donec ab Herode pri-  
mo Hierosolyma expugnaretur, annis ante Christum circi-  
ter 35.

**XLIX.**

Alij, ut Tremelius & Iunius Schenck, non sceptrum, sed tri-  
bus metonymicè interpretantur: quia per vias diuideban-  
tur: ut sit sensus, mansuram distinctionem tribuum, & nomi-  
natim tribum Iuda sustentatum iri usque ad tempora Messiae,  
sicut factum esse constat: post eius verò mortem, deleta à Ro-  
manis politia, cessarunt illa discrimina, & tribus sic confusæ  
fuerunt, ut ab ipsis Iudæis discerni nequeant.

**L.**

Simpliciter tamen responderi potest, illam Prophetiam,  
vel prædictionem Iacobi, duo, habere: quorum alterum est

B 3 de sce.

de sceptro : alterum de Legislatore, vel scriba statutorum.  
Quod ad sceptrum attinet, postquam extinti sunt duces domus Iuda, & illa familia nobilis imperare desit & ad Macca-bæos primùm, deinde ad familiam Antipatri, Idumæi gubernatio denoluta est : fuisse certum indicium non procul abesse Messiam, & exarescente radice Isai, expectandum esse nouum illud & sanctum germen, vt à Prophetis prædictum fuerat. Legislatores autem & Scribæ, qui distinctiones tribuum annotabant, quando planè cesserunt, vt accidit destructo ultimo templo, indicium non obscurum fuisse, exhibitum esse Messiam. Ergo postquam vtrunque illud, sceptri scilicet & Legislatoris defectus in populo conspectus fuit, dubitari amplius non debuit, aduenisse Messiam.

L. I.

Locus Danielis. 9. Alter locus eidens, quo definitur tempus aduentus Messiae, extat Danielis cap. 9. vbi & terminus à quo & terminus ad quem, & nomen Messiae exprimuntur: ac 70. hebdomadæ deciduntur, siue præcisè determinantur ad completionem eorum, quæ à Messia in terris perficienda erant.

L. II.

Per hebdomadas intelligi annorum hebdomadas, contententur omnes senioris mentis Iudæi. Et licet nonnulli in septima annorum, annos centum, alij quinquaginta contineri voluerint: haudquaquam tamen id probari potest ex Scripturis. Notum est autem & visitatum, non repugnantibus doctioribus inter Iudæos, septimanam annorum septem annos, & per consequēs 70. hebdomadas annos 490. confidere.

L. III.

De termino etiam à quo, & termino ad quem recepta est Talmudistarum sententia, annos illos à destructione primi templi ad destructionem secundi numerandos esse, qui numerus non ita multum à nostro abludit: &, vt maximè aliquot annis nostrum numerum superet: semper tamen contra Iudæos concluditur, dudum aduenisse Messiam, cùm ante aliquot secula secundum templum destructum, &, sicut prædixerat Christus, funditus euersum fuerit.

Ideo

LIV.

Ideò nihil etiam sententiae nostræ , & fidei de aduentu Messia obstat, quod nostri interpretes non planè ab eodem termino septimanas inchoant: sed alij ab egressu verbi, scilicet ex ore Ieremiæ, anno 4. regni Sedechiæ, regni Nabuchadnezar anno 12. de reditu populi & restauratione vrbis: alij, & ij quidem melius ab edicto Cyri, de quo 2. Chron. 36. & Esdræ 1. alij à septimo anno Artaxerxis Longimani.

LV.

Satis est constare de numero annorum, & illos annos dum præteriisse, & ea eo ordine euenisce, quæ Angelus prædixerat, qui septuaginta septimanas in tres classes partitus erat: in septem septimanas, id est, annos 49. quibus inter magnas angustias, platea & fossa, id est, synecdochicè ciuitas cum suis mœnijs instaurari debebat: & hebdomadas sexaginta duas, quæ pertingebant ad tempus exhibitionis Messia, & illud tempus complectuntur, quo per familiam Antipatri sceptrum erat tollendum à Iuda: & vnam septimanam, cuius primis annis Christus suum cursum absoluere, ceremonialibus sacrificijs finem imponere, & peccata expiare debuit.

LVI.

Nunc igitur ad tertiam classem argumentorum contra Tertia Iudæos progrediar, nempe ad effecta, siue res gestas Messia, classis argumentorum. quas à nostro Seruatore præstitas rectè asserimus.

LVII.

Hæc porrò iuxta Prophetas à Messia perfici debuerunt: instauratio regni Dauidis, quod trunci instar planè accisum erat: Doctrina Euangeli per eum nunciari debuit: ad illam doctrinam miracula accedere debuerunt propria Messia: per eundem peccata expianda: sacrificijs Legalibus finis imponendus fuit: libertas pacis, liberatio ab inimicis, propagatio regni per omnes fines terræ, per vocationem gentium, & similia contingere debuerunt.

LVIII.

Horum effectorum, et si alia negare contendunt Iudæi, ut in primis

in primis expiationem peccatorum per mortem: alia eludere, ut de pace & liberatione, quam per Iesum Christum non contigisse aiunt, sed potius varias calamitates, easque grauiores, præsertim in populo Iudaico, quam vñquam anteā: non est tamen difficile ad illorum cauillationes respondere.

LIX.

Illum tanquam surculum & germen emersisse ex truncō arefacto Dauidis, & illud regnum collapsū per eum instauratum, satis animaduertet, qui conferet locum Esa. 11. & Psal. 132. cum ijs quæ pronunciat pius ille sacerdos Zacharias Luc. 1.v.68,69. De doctrina propria Messiae, eiusque miraculis, vt & de loco vnde per totum orbem spargi debuit; vide Esa. 61. 35. & 2. Christum autem nostrum ea docuisse & fecisse quæ à Messia doceri & fieri debuerunt, liquidò ostendit Matth. 11. & Luc. 4: sicut etiam doctrinam eiusdem ex Ierusalem per totum terrarum orbem dimanasse manifestum faciunt Acta Apostolorum.

L X.

De morte & exinanitione tota Christi, quæ Iudæis magnum est scandalum, loca sunt satis evidētia, Psalm. 22. Esa. 53. & Daniel. 9. vbi disertè dicitur, Occidetur, vel excindetur Christus,

L XI.

Inanis enim est Iudæorum exceptio, qui aiunt verbum CARATH significare Excindere, non Occidere quod etsi verum est in prima significatione: tamen certum, sæpe etiam usurpari pro excindi ex hac vita, siue occidi: Vide Genes. 15. & 17. & Leuitic. 15.

L XII.

Sed hæc magna est Iudæorum cæcitas, quod exinanitionem Christi tantum intuentur, non autem eam, quæ consecuta est, glorificationem: & quod multò gloriōsius ipsi fuit ex sepulchro resurgere, quam de cruce descendere: quemadmodum præclarè monet Chrysostomus serm. Passion: nec considerant Christum sponte & ex summa φιλανθρωπίᾳ mortem adiisse, tanquam eum qui potestatem habuit ponendi animam, &

IX

mam, & rursus sumendi eam. Denique miseri Iudæi volentes  
suam iustitiam carnalem constituere, hanc iustitiam æternam Rom. 10.  
& absolutam, quam Christus ad fert, attendere nolunt.

### LXIII.

Sic & pacem carnalem, & regnum terrenum quærentes,  
veram conscientiarum pacem, & regnum illud quod concu-  
ti nequit, negligunt: & omnia sua mala quæ incredulitati &  
peruicaciæ suæ imputare debebant, Euangeliō & Christianis  
ascribere solent.

### LXIV.

De vocatione gentium nullus est ambigendi locus: Illas  
enim sub regno Messiæ vocandas, & contumacibus Iudæis  
successuras prædixisse Prophetas, & post Euangeliū prædi-  
catum id omnino factum; sæpe Christus, & in primis Aposto-  
li ex ipso euentu demonstrarunt.

Matth. 8.  
& 22.  
Act. 13.  
Rom. 9 &  
10.

### LXV.

Supereft QVARTA classis testimoniorum omnis gene- Quarta  
ris: ac primùm quidem fama publica, siue quodd historiæ tum  
gentilium, tum ipsius Iosephi Iudæi, de nostri Seruatoris ad- classis te-  
stimonio-  
rum.  
uentu, id est, Iesum Christum, quem Christiani pro redem-  
tore habent, verè natum, insignibusque factis claruisse, te-  
stantur.

### LXVI.

Imò & magni nominis viri inter Iudæos, Zacharias Iohann-  
nis Baptiste pater: Iohannes Baptista, Nicodemus, Iosephus  
ab Arimathia, Paulus, qui ante Saulus, inter Phariseos educa-  
tus, Christo nostro, & addicti fuerunt, & præclarum ei testi-  
monium reddiderunt.

### LXVII.

Pilati infelicem exitum, prædictum à Christo nostro, Item  
Hierosolymæ & templi vastationem, totamque deletionem  
illius politiæ, miseramque Iudæorum dispersionem, quæ non  
septuaginta annis, sed ultra mille quingentos annos durauit,  
negare ipſi Iudæi non possunt.

### LXVIII.

Et constat etiam sub Christi nostri aduentum, Iudæos in

C Messia

Messiae expectatione fuisse, ac non solùm Simeonem & Annam Prophetissam, sed & præcipuos sacerdotes, qui ad Iohannem Baptistam suos legatos mittebant, quærentes an ipse esset Messias.

Iohann. i.

L XIX. *Is*

Deleto templo exorti sunt nonnulli impostores, qui se quidem profitebantur liberatores populi, & ideo facile applausum inueniebant, quod tunc Messias expectabatur: inter alios Ben ille Cochab, qui poste à Ben Cosba, id est filius mendacij, tempore Adriani Imperatoris nominatus fuit.

L X X.

Et cùm toties frustrà fuerit expectatus Messias, non defuerunt superioribus seculis Iudæi non insimæ notæ, qui in suis conscientijs tum ex Scripturis, tum ex euentu conuicti fregunt: Dominum nostrum Iesum Christum, esse illum promisum Messiam.

L X X I.

Talis fuit Rabi Samuel, qui ante quingentos annos vixisse putatur: cuius confessio de Messia contra Iudæos anno 1239, ab Hispano quodam Alphonso ex Arabica lingua in latinam conuersa est, & Germanicè nunc passim extat.

L X X II.

Is disertè ostendit, cùm nunquam, ne quidem propter idolatrias & homicidia Manasse, & aliorum Iudæorum detestanda peccata, tam diuturnas pœnas & tam graues dederint Iudæi, nullam aliam causam esse, quam quod exhibitum Messiam reiecerunt: Testimonia etiam de nostro Messia, in primis Esa. 53. & Daniel. 9. tam esse aperta scribit, ut à Iudæis refutari non possint.

L X X III.

Hadrianus Finus ex libris Iudæorum citat aliquot Rabinorum dicta, qui pronunciarint frustrà ab ipsis Messiam expectari, qui iam aduenerit: ac inter alios citat quendam Iudæum, Magistrum Iohannem Baptistam, artium & Medicinae doctorem, qui in suo opusculo confutationis Iudaicæ profiteatur & doceat, nostras supputationes de tempore aduentus

tus

tus Messiae esse veritati consentaneas. Prætereo multos alios  
conuersos Iudæos magni nominis, Isacum patrem & filium:  
Tremelium, & similes.

X

LXXIV.

Hæc cùm ita sint, debemus omnino Deum orare, vt illis  
cæcis oculos tandem aliquando aperiat, & gratis animis am-  
plecti quod illi rei ciunt, agnoscereque τὴν ὁμοίωσιν τῆς  
σωτηρίας χάρετο θεός, (vt monet Apostolus) & cùm eos Tit. 2.  
diffeminārit Deus per omnes nostras prouincias, quasi testes  
iniquitatis suæ, & veritatis nostræ, vt rectè scribit Augustinus, In Psalm.  
ab eorum iniquitate & ingratitudine nobis caueamus: veri-  
tatem retineamus, expectantes non Messiam terrenum, sed  
aduentum illum gloriosum Domini nostri, qui ex hac Apocal. 21.  
& 22.  
miseriarum valle in beatam illam & cœle-  
stem Hierusalem nos est tra-  
ducturus.

*Veni Domine Iesu, venito.*

F I N I S.





Umg. VI 45

ULB Halle  
002 379 767



3

s. b.

WNA

THE FLOWERS OF THE EARTH ARE IN SEVEN  
WORLDLY SIGHTS: R.

18.0 : 819.0

# ព្រះរាជាណាចក្រកម្ពុជា

# ព្រះមហាក្សត្រ បាន់បាន់

# សាសនា ព្រះមហាក្សត្រ

卷之三

ప్రాణికాల వ్యవస్థల కు  
ప్రాణికాల వ్యవస్థల కు

فیض رکھی۔ گلشنہ۔

בְּרֵאשִׁית בָּרוּךְ הוּא  
בְּרֵאשִׁית בָּרוּךְ הוּא  
בְּרֵאשִׁית בָּרוּךְ הוּא

1900-1901  
1901-1902  
1902-1903  
1903-1904

תְּהִלָּתְךָ שְׁמָךְ  
בְּנֵי צְדָקָה תְּהִלָּתְךָ

卷之三

卷之三

# THE LOST WORLD

Ấn Độ: Tên là Trung Quốc, tên Hán là  
Trung Quốc, tên Anh là China

1900 First edition 1512  
First edition 1512  
First edition 1512

An aerial photograph showing a steep, rugged mountain slope. The terrain is covered in a dense, dark green forest. The upper portion of the slope is dominated by large, light-colored boulders and rocky outcrops, indicating a high-altitude or glacially scoured environment. The forest line appears to be at a mid-elevation, with the lower slopes being more exposed rock.

1915 Collection

# The Great Secret of Success

**ESTERIO TORONTO**

THE FRENCH REVOLUTION

This image shows a close-up, horizontal view of a dark, textured surface, likely a book cover or endpaper. The texture is irregular and mottled, with patches of dark green, black, and brown. A prominent, lighter-colored, marbled pattern runs vertically down the left side of the frame. This pattern consists of irregular, yellowish-green and brownish stains of varying sizes and shapes, creating a mottled effect. The overall appearance is aged and worn.

This image shows a close-up of a dark, heavily textured surface, possibly the cover or endpaper of an old book. The texture is irregular and mottled, with various shades of brown, tan, and black. A vertical seam or fold line runs down the center, suggesting it's a page from a bound volume. On the far left, a portion of a lighter-colored, possibly wooden or leather, binding material is visible. The overall appearance is aged and worn.

# Farbkarte #13

B.I.G.

